

sium et Catherini inania sunt : nec enim desperatio injicitur per prædestinationem, sed spes firmatur, quia in Deo collocatur, et non in nobis, ut Augustinus dicit de bono perseverantiæ, cap. xvii. Nec tollitur oratio aut exhortatio, quia multa non præparat Deus, nisi mediante orationibus, et hortationibus, ut ibidem, cap. xvi dicit Augustinus et subdit : « Cavendum est igitur ne dum timemus, tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio. » Sic ergo infallibilis dispositio Dei, non tollit orationes, quia per orationum media præparat, et disponit infallibiliter quid fiat. Multo minus tollit potentiam moralem salutis a reprobis, aut aliquid requisitum ad salutem eis denegat ex parte sufficientium auxiliorum, per quæ potentia moralis, et proxima habetur ad bene operandum, et salutem consequendam : non tamen omnibus dat ut de facto salventur, quod est prædestinari. Sine ista autem prædestinatione, et præparatione non possunt consequi salutem potestate consequenti, quæ habet adjunctum effectum, transeat; potestate antecedenti, quæ habet sufficientiam, et potentiam proximam, licet non effectum, et in reprobis etiam invenitur, nego. Minus tollit liberum arbitrium prædestinatio, sed potius servat, quia hoc ipsum Deus præparat, ut libere homines operentur per gratiam : « Non enim libertate consequimur gratiam, sed gratia libertatem, » ut Augustinus docet libro de correptione et gratia, c. viii et nos supra, circa efficaciam decretorum Dei loquendo, et præcedenti tomo, circa scientiam mediam sæpe ostendimus.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXI. Primo, arguitur contra primum dictum, seu primam conclu-

sionem ad probandum non requiri quod providentia sequatur ad aliquam volitionem divinam, sed sufficit quod antecedit, dummodo subsequatur actus voluntatis efficax, quo compleatur, et sumat denominationem providentiæ. Et argumentum sumitur ex insinuatibus supra, quia divina cognitio non proponit finem voluntati, quasi in abstracto et unde, sed cum plena comprehensione mediorum, et omnium, quæ ad talem finem et ejus assecutionem non possunt concurrere, vel requiri : ergo proposito fine sic, non indiget voluntas ad tendendum in ipsum, et in media, et in ejus assecutionem, ulla alia ordinatione, et directione mediorum, aut applicatione eorum ad usum et assecutionem, sicut nos qui imperfecto modo procedimus, et primo tendit voluntas in bonitatem finis secundum se, deinde consulit de mediis, et denique de difficultatibus ad executionem ordinat. Si autem omnia ista in tota comprehensione statim proponerentur voluntati, non indigeret aliqua ordinatione intellectus præsupponente aliquem affectum voluntatis circa unum, et ordinante circa aliud, sed omnis ordinatione de facto proponitur voluntati ante omnem actum liberum ejus, ergo nulla datur ordinatione supponens actum voluntatis antecedentem, et dantem sibi efficaciam, sed tota efficacia subsequitur in providentia divina, quia supponit omnem ordinem, tam circa media, quam executionem, ante omnem ejus actum positam et attactam ab intellectu ob infinitam comprehensionem.

XXXII. Confirmatur ex Arrubal disp. lxi, cap. iii, quia si ad providentiam debet supponi aliquis amor et voluntas libera Dei circa rem creatam : ergo debet etiam supponi aliqua terminatio illius actus liberi ad tale objectum, quæ posset non

esse in Deo (si oppositum vellet) et aliqua mutatio ex parte creaturæ, quæ ex vi talis amoris dicatur immutata in se, et futura : ergo non potest ex aliqua voluntate libera seu decreto libero antecedente sumere efficaciam providentia seu ordinatione intellectus per vim præcepti ad exequendum. Patet consequentia. Supponit rem jam executam, et futuram ex vi decreti liberi antecedentis, quia jam est efficaciter volita, atque adeo immutata et futura a divina voluntate : ergo non potest ab ipsa dimanare efficacia ad exequendum : ergo neque requiritur aliqua ordinatione causans executionem, si supponit aliquod decretum liberum efficax ante se.

XXXIII. Respondetur quod antecedenter ad omnem actum voluntatis proponitur ab intellectu divino finis cum plena comprehensione mediorum in ratione possibilitatis, et comprehensione quasi speculative, transeat; in ratione exequendi, et determinandi practice, nego : convenientia enim et dispositio de mediis pratico modo, et executivo non potest proponi nisi cum aliquo determinato modo eligendi inter omnia possible : et hæc determinatio seu electio se habet dependenter ab aliqua voluntate circa finem, eo quod plerumque convenientia, et determinatio mediorum, et dispositio eorum ad executionem sumitur ex proportionatione, et habitudine ad finem jam volitum, et in quantum volitum. Unde non potest decerni efficaciter et ordinate de tali executione, nisi conferendo, et proportionando illam executionem fini jam volito, sicut Deus non ordinaret Christum conspui et flagellari, et saturari opprobriis, nisi hoc proportionatum videret redemptioni nostrorum peccatorum jam volitæ, quia videlicet voluit copiosam fieri redemptionem : posset enim aliis modis redemptio

fieri, sed ordinatum fuit de illo medio ita pœnali et duro, quia volita erat illa redemptio ut copiosa, et in maximæ patientiæ documentum. Et quotiescumque res aliqua posset per plura media fieri, et hoc proponitur ut possibile, et per modum speculationis, non potest practice ordinari executio unius determinati, nisi ex suppositione finis sic volite, quod ex suppositione talis volitionis congruentius apparet unum medium, quam aliud. Imo generaliter docet S. Thomas quod non potest præcipi de agendis, nisi supponendo volitionem finis in ordine ad quem præcipitur, ut dicit in hac quæstione xxii, art. i ad iii et q. xxiii, art. iv : « Non præcipitur, inquit, aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. » Et præcipue hoc currit in Deo, qui, ut dicit Apostolus ad Ephes. i : *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Non ergo ex notitia antecedenti omnem actum suæ voluntatis, sed consulente suam voluntatem, et secundum proportionem ad beneplacitum ejus operatur et exequitur. Quare negamus quod ex sola cognitione finis et mediorum secundum se, et quasi speculative, et comprehensione eorum in ratione possibilis moveatur divina voluntas, sed etiam ex conformitate, et collatione eorum ad suam voluntatem, et suum beneplacitum ; et sic ex suppositione unius voliti vult aliud volitum, scilicet ex fine media, finem vero ratione suæ bonitatis, licet non ex una volitione habeat aliam volitionem, ut dicit S. Thomas supra q. xxix, a. v.

XXXIV. Et declaratur hoc amplius, dicendo quod licet Deus unico actu ex parte intelligentis finem et media omnia, et omnem ordinem eventuum comprehensive proponat, et ex parte voluntatis unico etiam actu ex parte volentis omnia ista

objecta attingat, et ita non indigeat multiplicare actus ex parte sua, tamen ex parte objectorum ordinate se habent istæ attingentiæ, et secundum ordinem objectorum inter se, et comparisonem eorum ad voluntatem dicuntur variari decreta divina, et unum decretum supponere aliud, quia unum objectum ut volitum supponit aliud, et dependet ex alio etiam ut volito; et sic dicitur Deus ordinate velle objecta, ordine se tenente ex parte objectorum. Et sic ex hac parte distinguimus decreta divina et actus voluntatis, et inter unum et aliud distinguimus, actum providentiæ ex parte intellectus, et alios actus practicos, non quod efficacia unius actus det efficaciam ad alium actum ex parte Dei, sed quod ex parte objectorum unum efficaciter volitum per modum finis præsupponitur ad ordinationem efficacem circa media, vel circa executionem: et sic propositio unica Dei comprehensiva finis et mediorum et totius executionis ita est unica comparatione ad actum ex parte volentis, quod est virtualiter multiplex ex parte attingentiæ objectorum, et terminationis ad ipsa, et diversarum difficultatum, quæ ex parte objectorum, rerum provisarum se tenent, ob quæ diversa connotata resultant sufficientia ad distinguendum istos actus ex parte objectorum. Et in hac distinctione ex parte ipsorum relucet diversa efficacia et terminatio ex parte voluntatis, et diversa ordinatio ex parte intellectus respectu diversarum rationum, quæ resplendent in objectis, licet actus ex parte Dei attingentis omnino unum sint, sicut et ipsa efficacia, ut ex parte operantis.

XXXV. Ad confirmationem respondetur, quod providentia supponit efficaciam intentionis in volitione finis, non tamen efficaciam executionis, sed illam ordinat et disponit

præcipiendo de agendis. Efficacia autem intentionis non constituit rem futuram in exercitio et executive, sed intensive, et est principium hujus futuritionis et executionis, quatenus intentio finis est principium, et ratio exequendi in his, quæ fiunt ex fine; et sic efficacia illa intentionis infert et derivat ex se efficaciam executionis, et est efficacia in suo ordine et linea sufficiens ad intendendum, sed nondum intelligitur efficacia exequens et in actu executive ponens, quousque media et executio ordinentur. Unde cum non supponat rem executam, sed intentam, potest ex vi talis efficaciam ut intentæ causari executio, et ordinatio de executione, ut res existat, sicut ex intentione finis causatur in nobis electio mediorum. In Deo autem non est causatio actus ex actu, sed objecti voliti ad objectum volitum.

Imo potius ut bene vidit m. Gonzalez hic disp. LXV, sect. iv in sententia Arrubalis, quod decretum liberum in ratione liberi constituitur secundum connotationem actionis ad extra, et productionem rei volitæ, non potest divinæ providentiæ causalitas et ordinatio circa rerum productionem defendi: nam si providentia est decretum liberum et efficax mediorum, ex amore finis et decretum liberum includit ipsam productionem medii: ergo talis productio non pendet a divina providentia. Patet consequentia, quia includit illam in ratione liberi: ergo non pendet productio rei ad extra ab illa ut a libera providentia, si quidem non intelligitur hæc providentia in Deo et hoc liberum decretum ante ipsam productionem et terminationem ad illam: ergo productio ad extra non pendet a divina providentia, et cura Dei, quia ante ipsam non est providentia Dei. Falsitas autem consequentis constat ex

illo Matthæi: *Nonne quinque passeris vaneunt dipondio, et unus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro?*

Ergo occisio passeris a cura et providentia Patris dependet: ergo ante illam occisionem constituitur, non post illam intelligitur constitui in ratione liberi. Et non satisfacit responsio Alarcon tract. iv de prædestinatione, disput. i, cap. iii, quod occisio passeris et productio rei dicitur subijci divinæ providentiæ, et dependere ab ea, quia quando in tempore fit, dependet ab æterna voluntate, et sic non dependet a providentia tamquam ab aliquo actu qui antecedit secundum causalitatem, ipsam occisionem, sed secundum durationem æternam connotando tamen ipsam ut futuram. Sed quia res non solum quando in tempore fiunt, sed etiam quando ab æterno decernuntur pendent a providentia, addit quod etiam ab æterno res decernuntur secundum providentiam, quia decernuntur ex certo fine, non casu, et sine ejus cognitione: ex cognitione autem conditionali qua Deus cognovit hoc esse utile ad illum finem, decrevit ut fieret ex tali fine. Cæterum prima solutio est aperte falsa, quia quando in tempore occiditur passer, illa occisio actu pendet a causalitate Dei, utpote a causa prima, sed non a causalitate divina operante sine providentia: ergo operante per providentiam, et non per providentiam temporalem, et incipientem Deo convenire ex tempore: ergo æternam: ergo æterna providentia non solum duratione, sed etiam causalitate antecedit illam occisionem: ergo non constituitur in ratione liberæ providentiæ, et decreti liberi per connotationem productionis ad extra, sed antecederet ad illam, quia est causa illius. Secunda autem solutio nihil etiam valet, quia res non aliter pendent ab æterno a

divina providentia, quam in tempore quando fiunt: quidquid enim in tempore fit, decretatum et præparatum est ab æterno, et eo modo fit in tempore quo decernitur ab æterno ut in tempore fiat; sed in tempore dependet occisio illa a causalitate divina, et ejus providentia, non solum in genere causæ finalis, ut non temere fiat, sed in genere causæ efficientis operantis per intellectum et rationem, quod est operari per providentiam: ergo providentia in tempore, et ab æterno antecedit illam occisionem, non solum duratione, sed etiam causalitate, et non sola causalitate finis, sed efficientis et exequentis per directionem providentiæ. Et præsertim quia providentia non ad hoc ponitur tantum ut intendatur finis, sed ut ex fine intento aliquid debite et rationaliter exequatur: ergo occisio passeris non pendet solum a providentia in genere causæ finalis, sed in genere efficientis et exequentis; et sic non constituitur connotatione productionis, sed causat illam.

XXXVI. Secundo, arguitur, quia si prædestinatio consistit in actu imperii ordinante executionem: ergo alicui debet imperare, non ipsi Deo ut eliciat actum, quia Deus sibi non imperat, cum in eo non sit aliquid superius et inferius, quod requiritur ad imperium, nec habet actum per elicentiam, sed seipso est in actu secundo, et sic non indiget imperio ad suos actus habendos. Non ipsis prædestinatis, quia nondum existunt quando prædestinantur, sed quando fiunt in tempore, tunc enim incipit Deus esse Dominus eorum: ante productionem enim creaturæ non denominatur creator aut Dominus: ergo neque imperans, sequitur enim imperium ad dominium: ergo imperium non est ab æterno in Deo, sicut nec dominium: prædestinatio autem est ab æterno in Deo: ergo